



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Cvræ Pastoralis Præcipve Circa Repentina & Generaliora

Possevino, Giovanni Battista Bernardino

Coloniæ Agrippinæ, 1645

X. De Matrimonio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42220

& si regularem trium votorum vitam professus esset, excommunicationis pœna plecteretur. Greg. de Val. tom. 4. d. 8. quæst. 2. part. 1. cum alijs quibusdam, sæculares etiam Sacerdotes huius legis violatores excommunicationis mucrone feriri putat: se Clem. de solis loquitur Religiosis, & pœnæ sunt restringendæ, c. odia de reg. in. in 6. [Religiosi qui Clericis, aut laicis Sacramentum vñctionis extremæ, &c.] Hanc veram sententiam quo Suarez que tuetur tom. 4. d. 44. sect. 2.

Plures Sacerdotes, vnus post alium, immo eodem tempore, si vnusquisque lineam, & formam proferat, hoc Sacramentum valide ministrare possunt.

Hæc omnia, & alia multa, scitu digna, qua potui diligentia, in edito de vñctione extrema tractatu persecutus sum, ad eum confuge, si paucis hisce, necessarijs hac breuitate indicatis, contentus non es. De effectu huius Sacramenti hic nihil, ibi multa. Nicolaum Serrarium de extrema vñctione scripsisse, testatus est Petrus Ribadeneira in Catalogo Scriptorum Societatis Iesu: aut ego eam lucubrationem non vidi.

CAPVT X.

DE MATRIMONIO.

SUMMARIUM.

1. Requisite à Concil. Trid. pro matr.
2. Denunciations quot, & quales.
3. Quis dispensat in denunciationibus.
4. An creditur Vicario iubenti denunciat fieri.

5. Interpellatio denunciationum. 35
6. Remissio denunciatio an peccatum. 36
7. Denunciations interrupta quando resumatur. 37
8. Quomodo fiant denunc. si adest. imped. 38
9. Curatus quomodo quarat fidem contrahentium 39
10. Vbi debeant fieri denuntiat. 40
11. An possint fieri in alia Ecclesia à Cura. 41
12. In qua Missa fiant denunc. 42
13. An Curat. possit Mat. celebrare sine denunciat. 43
14. Dies festus quis. 44
15. An Matrim. sit faciendum statim post denun- 45
ciationes.
16. Curatus proprius an sit necessarius minister 46
Matr.
17. An necesse sit Cur. esse Sacerdotem. 47
18. Vbi fiat Matrimonium. 48
19. An Cur. peccet mortaliter coniungens domi. 49
20. An Cura possit in aliena parochia iungere suos. 50
21. An possit in alieno Episcopatu. (iungere. 51
22. An Cur. alienus de scientia proprij possit con- 52
23. Assistentia parochi qualis. 53
24. Quo habitu Cur. assistat. 54
25. Testes pro matrimonio. 55
26. Ætas testium requisita. 56
27. Matrimonium quando nullum. 57
28. De tempore celebrandi Mat. 58
29. Prohibitio benedictionis nuptialis. 59
30. Quando incipiat tempus prohib. 60
31. An tempore vetito licita sint letitia traductio- 61
nis sponsa.
32. Hora faciendi Matrimonij. 62
33. Dubium emergens in celeb. Mat. 63
34. Testes quot pro impediendo matrim. 64

35. Curatus sciens impedimentum an reuelet cum scandalo.
36. Cum quando periculo reuelandum sit.
37. De minantibus graua Curato assistenti matr.
38. Cum consensus non est liber.
39. Consensus quomodo exprimat.
40. Quando dissentiunt quid agendum.
41. Vagabundi quomodo cōiungendi sint matrim.
42. An litera dispensat. sine necess. qua.
43. Cur. qui scit impedimentum secretum.
44. Quomodo respondendū habētī votū castitatis.
45. Quid agendum cum matr. quod prius fuit clandestinum.
46. Matrimonium clandestinū q̄ transit in sponsalia.
47. Contrahentes cum conditione.
48. Forma matrimonij quanam.
49. Matrimonium per procuratorem celeb.
50. Forma mat. contracti per proc. ex parte Curatū.
51. Forma procuratoris contrahentis.
52. Qua prohibentur in celeb. Matr.
53. Benedictio nuptialis cui sit danda.
54. An non virgo sit benedicenda.
55. An una benedictio possit fieri simul super multas sponsas.
56. Benedictionem quis dat.
57. Matrimonium quomodo reualidatur.
58. Infideles conuersi an reualident matr.
59. An renouare consensum bonum.
60. Quomodo puerpera sit introducenda in Eccl.
61. An officium puerperæ possit fieri domi. (rū.)
62. Officiū pro dissolutione maleficij portuū mulie-
63. Traduc. vxoris pro multum tempus.
64. De coniugatis absque presentia parochi.

QVÆSTIO. I. *Quod requirat Concil. Trid. sess. 24. cap. 1. de reform. matri. pro matrimonio?*

RESP. Inter cætera requirere.

2. Denunciations, quas vult esse tres faciendas diebus tribus festiuis continuis. in vnoquoque vnam: & Curatus in altero istorum deficiens, videtur peccare mortaliter, quia non obseruat graue præceptum Concilij, licet in aliquo illorum excusetur à doctoribus, vt dicetur infra, de omittente vnam denunciat.

3. In denunciationibus Episcopus potest dispensare. Vicarius gener sine speciali facultate non item Silu. *matrim. 6. q. 5. not. 2. in fine*, elicitur etiam ex dicto loco Concilij, nam ibi Concilium videtur requirere industriam personæ Episcopi.

4. *QVÆST. Si Vicarius generalis iubeat Curatum denunciare vna, aut altera vice, solum, an Curatus tuto possit credere Vicario ad hoc facultatem factam esse ab Episcopo?*

5. RESP. Posse, etiam si Episcopus absit, vel Vicarius, ipse paucis diebus antè interrogatus à Curato; an posset in numero denunciationum dispensare, respondisse non posse: quia rationaliter Curatus potest credere, factam ab Episcopo postea facultatem Vicario dispensandi per epistolam.

6. *QVÆST. Quale peccatum sit interpellare denunciations?*

RESP. Esse, qui putent esse mortale sine causa, quia sit præceptum in re graui. Omittere vero vnam esse solum veniale vult. *Rebell. de oblig.*

li. 2. q. 7. sect. 2. num. 10. Omittere verò eas sine causa erit mortale, cum sit mortale interpellare, quod est minus.

7. *QVÆST. An si Curatus ex causa, puta facta una denunciatione, & detecto impedimento, interpellet denunciations, postea superata difficultate, num. sufficiat, ut faciat duas omissas, an debeat facere omnes?*

RESP. Et credo sufficere, si facit duas omissas, quia quod denunciations sint continuæ concil. ibi præcipit, ne fraus in eis faciendis adhibeatur: in casu nostro videtur cessare omnis ratio fraudis.

8. Porro quando impedimentum inter contrahentes est clarum, possunt fieri ante, & post obtentam dispensationem, sed congruentius fiunt post Sil. d. 28. q. 2. art. 2. conc. 3.

9. *QVÆST. An Curatus, qui scit contrahentem esse alterius Cura, teneatur ipse ab isto contrahente fidem quarere, vel sufficiat per alios notificetur hoc impedimentum?*

RESP. Per se teneri, & ita praticari.

Bona practica est non facere denunciations, nisi habito consensu sponsi, & sponsæ, vel parentum illorum, aut saltem illorum, qui eorum curam gerunt, quia ita multa inconuenientia euitantur. Si tamen in tua Cura fuerit consuetudo diuersa quæ ab Episcopo non fuerit improbata, illam observa.

In quibusdam locis, cum sunt denunciations faciendæ alicuius, qui antea matrimonio fuerit copulatus prius probatur esse solutū, deinde denunciations fiunt. Fortè est super-

fluum, cum per denunciations omnia soluentur. Sed nec superfluum, cum secundum legitimam consuetudinem loci, fœmina est vidua, sed non contrahens, cui debetur benedictio ratione consuetudinis in illo loco vigentis. Sed vide, nu. 48.

10. QVÆST. Vbi denunciations sint faciendæ?

RESP. Concil. ibi velle faciendas esse in Ecclesia in Missa consuetudo interpretaretur in parochia sponsi, & sponsæ, si sint diuersarum parochiarum.

Si verò alter contrahentium sit quidam alterius Cura, sed de nouo sit factus habitator illius Cura, emptæ domo, & eam inhabitante, in qua Cura denunciations fiant?

RESP. Obseruandas constitutiones Episcopi, quæ si non adsint, ita posset agi. Faciendas quidem denunciations ibi, sed & faciendas in priori parochia habitationis istius.

Si autem faciendæ sint denunciations illius, qui nunc est vir, & habitat in tua cura, sed cum illuc venit, erat septennio minor; Credo tutò posse te facere eas, quia si non contraxit post aduentum in tuam parochiam, nec potuit contraxisse antè non solum matrimonium, sed nec sponsalia de futuro, per impotentiam ætatis, & ita potest tutò contrahere, & tutò possunt ibi denunciations fieri.

11. QVÆST. An si in oppido sit nisi unica parochia, & in die festo populus confluat ad aliam Ecclesiam, quia ibi de consuetudine talis festi dicitur Missa Parochialis, an ibi denunciations fieri possint?

RESP.

RESP. Posse, quia saluatur mens Concilij denunciationibus faciendis, quæ est, vt parochiani eas audiant.

12. QVÆST. *An si in parochiali, maximè oppidi, sint dua missa debeant denunciationes in utraque fieri, vel an sufficiant fieri in alterutra?*

RESP. Et videtur dicendum obseruandam cōsuetudinem; Communiter faciendæ sunt in ea quæ habet rationem parochialis, puta quia in ea solent fieri, siue sit prima, siue secunda: Certum præterea est, non esse faciendas extra Ecclesiam. Nec in Ecclesia, (priuatè: nec in Ecclesia, extra Missam, nec etiam in vespers, aut publica concione) qui Concilium explicat in Missa faciendas.

13. QVÆST. *An Curatus auctoritate propria possit celebrare matrimonium sine denunciationibus?*

RESP. Dictum esse supra numero primo, & secundo, regulariter non posse. Poterit tamen, cum aliqua vrgens, & grauis causa adfuerit. *Sot. distin. vigesima octaua, articulo secundo concl. 3. talis erit. Cum quis est in articulo mortis, & vt relinquat malum statum peccati, contrahit eum concubina tunc facto matrimonio denunciationes faciendæ, vide infra numero trigessimoprmo. Item quando si in deprædatione ciuitatis, qui essent coniuges, saluarentur. Item si concubinarij iter facientes deprehenderentur esse tales, & periclitarentur. Item si alter volens contrahere impediatur à cognato, vt iterū magna hereditate fruatur. Item si esset vtile multum, ex tempore duos coniungi, qui elapso*

tempore impedirentur. Hæc tamen omnia sunt intelligenda, quando nec Episcopus, nec Vicarius, potest audiri. *Navar. cap. 16. num. 3. Cand. in 4. p. ca. 1. nu. 17.* Et si non datur tempus recurrendi ad Episcopum aut Vicarium celebrato matrimonio, eos de facto admoneas.

14. *QVAEST. Quid intelligendum nomine diei festi, in quo denunciations sunt faciende?*

RESP. Intelligendos festos ex præcepto, & consuetudine, & etiam ex deuotione, etiam si non seruetur festus; nisi vsque ad meridiem: quia dum consilium non distinguat; nec nos distinguere debemus, & in omnibus saluatur mens Concilij, quæ est, vt denunciations fiant tempore, quo audiantur à populo, & his diebus populus potest audire, quia ad Ecclesiam confluit. Sic doctissimi Romæ consulti.

15. *QVAEST. An matrimonium statim post denunciations faciendum, seu celebrandum?*

RESP. Ferdinandus Rebel. *de obligationibus 3. p. lib. 4. in additionibus nu. 8.* ex decreto Conc. celebrandum infra quatuor menses post denunciations: alias denunciations iterum faciendas. Tu tamen vide apud in tuo Episcopatu sit alia consuetudo scita, & tolerata ab Episcopo, & eam tu potes obseruare. Sed, & prudenter in aliquibus Episcopatibus cauetur, non celebrari matrimonium, eadem die, qua vltima denunciatio finitur, vt reuelans non eludatur angustia temporis.

16. *QVAEST. An Curatus proprius sit necessarius pro matrimonio?*

R. Necessarium ex conc. ibi Rati habitio alterius parochi non valet, bene valeret, si facta fuisset facultas.

facultas generalis exercendi omnia spectantia ad officium parochi. *Rebell. in addit. ibi li. 4. p. 2. nu. 62.* Facultas hæc debet esse in scriptis, ad probationem: *Idem 2. p. li. 2. q. 8. n. 1.*

17. Non est necesse Curatum esse Sacerdotem, licet bene pro danda nuptiali benedictione, ideo si Curatus adhuc non sit Sacerdos, poterit ipse celebrare, dummodo, adde, non utatur stola, & benedictionem Sacerdoti de legere. *Idem ibi nu. 2.*

Curatus est aptus, etiam si ab Episcopo, vel eius Vicario interdictum fuerit illi non assistere certo generi personarum, si iisdem astiterit. *Rebel 2. p. de oblig. in addit. 4. li. Curatus suspensus ab officio vel excommunicatus non tolleratus, est aptus. Idem 2. par. li. 2. q. 8. nu. 9.* licet peccet, Idem Curatus potest alteri Sacerdoti dare licentiam assistendi: tenet *Rebel. ibi licet etiam offerat contrariam opinionem. ibi. num. 9.* Hanc eandem facultatem potest dare Vicarius perpetuus, & amovibilis Curati. *Idem ibi. numer. 8. & in addit. libro quarto, num. 67.*

18. QVÆST. Vbi celebrandum matrimonium?

RESP. Consilium ibi præcipere, ut fiat in facie Ecclesiæ. Consuetudo est in parochia sponsæ, potest etiam fieri in parochia sponsi, si sponsa ad eius domum descendit ex *Cong. Concilij Rebell. in addit 4. li. 2. parte, nu. 34. Navar. in noua editio. ne ca. 25. num. 144.* Potest etiam celebrari domi, *Idem ibi ex eadem congregatione, num. 14.* Et ordinarium non posse prohibere, idem ibi habet ex eadem *Congreg. nu. 16.* Hortandus tamen ad celebrandum in Ecclesia. Tu dic celebrandum

iuxta consuetudinem loci scitam & approbatam ab Ordinario, à qua ipso inconsulto non discedas, quia posses puniri.

19. An verò, qui contra communem consuetudinem legitimam iungendi in Ecclesia, hoc ageret domi sine causa, peccaret mortaliter?

RESP. Rebell. de obligat 7. pri. lect. v. qu. 7. sess. 2. nu. & distinguit esse mortale ubi per Episcopum ita est praeceptum, aliàs mortale non esse.

20. QVÆST. An Curatus in aliena parochia possit iungere suos matrimonio, etiam sine licentia parochi loci?

RESP. Rebell. 2. p. l. 2. q. 8. nu. 5. posse, & citat Nau. ex decreto dictæ Congregationis. Ideo potest per Sacerdotem subrogare, licet ab Episcopo non approbatum; non autem hoc potest diaconus, aut illo inferior, cum Concilium requirat Sacerdotem. *Obserua leges tui Episcopi.*

21. QVÆST. An Curatus hoc possit etiam in alieno Episcopatu?

RESP. Videri dicendum posse, cum per hanc actionem nullius iurisdictio violetur, & nulli fiat iniuria. Prudenter tamen aget Curatus, si isto privilegio non utatur, nisi urgente causa, quia posset incidere in vexationē. *Obserua semper leges tui Episcopi, & consuetudinem legitimam.*

22. QVÆST. Si alioqui contrahere volentes, & timentes impedimentum abeant in alienum locum, an Curatus illius loci possit, de licentia tamen Curati istorum contrahere volentium, eos coniungere?

RESP. Rebell. 2. p. l. 2. q. 8. n. 5. posse, & probat ibi contra Nauar. citatum ibi. Tu tamen non assistas.

assistas, nisi ad Episcopum re prius delata.

13. QVÆST. Qualis debeat esse assistentia parochi, vel alterius de illius licentia assistentes?

RESP. Rebell. in add. 4. n. 51. Debere esse tale, ut appareat à contrahentibus hac de causa adhibitus fuisse, nimirum ut audiat, vel videat, & aduertat quid fiat.

* Et si adsit inuitus, vel compulsus valet Matrimonium ibi. nu. 52. & si adfuit, sed affectauit non intelligere. valet matr. idem ibi. nu. 53.

24. QVÆST. Quo habitu assistat Curatus?

RESP. Habitu ab Episcopo præscripto, si nullus præscribitur, ordinario in loco iuxta laudabilem consuetudinem. Sine talari veste saltem non assistere laudabile non videtur.

De modo bono practicandi matrimonium, v. c. 12. nu. 41.

25. QVÆST. An, & quot testes requirantur pro matrimonio?

RESP. Requiri duo, aut tres per Conc. Trid. sess. 24. c. 1. de refor. matr. Communiter sunt duo. Obserua consuetudinem loci, saluo tamen numero duorum. Aptus est pater, mater, & quilibet cognatus, etiam infamis testificari prohibitus. Rebel. 2. p. l. 2. q. nu. 8. Item fœmina. Sil. testis, q. 1. not. 2. Ineptus, & mente captus, ebrius, furiosus dum non habet lucida interualla, & infans. Rebel. ibi Praxis. Adhibe si potes maximè matrimonio litigioso, testes, omni exceptione maiores: nã licet omnis testis sit aptus, ut est dictũ, tamẽ si adhibiti fuerint patientes exceptionẽ, poterũt excipi. Debent autẽ testes adhiberi simul, dũ cõsensus exprimitur per cõtrahentes, nõ successiue.

cessiue.

cessiuè. Idem ibi, & debent adesse taliter, vt ad-
uertant sensu, & intellectu, quid agatur idem ibi.

26. QVÆST. *An aliqua ætas requiratur in testel*

RESP. Rebel ibi ad sufficientiam pro validita-
te matrimonij requiri talem ætatem, quæ habe-
at vsum rationis. Ideo ad cautelam pro matrimo-
nio litigioso, quære maiorem 14. anno, quia talis
non potest excipi. *Sil. impubes, & testis. loco dicto.*

27. QVÆST. *Ex dictis conditionibus Concilij,
quæ sint necessitate absolutè, ita vt si deficiat, ma-
trimonium sit nullum?*

RESP. Testes, & præsentia Curati, vt est di-
ctum. Si quis tamen inualidè contraxisset, ob de-
fectum consensus, vel cum impedimento diri-
mente, obtenta dispensatione sat erit iterum
consentire sine Curato, & testibus. *Rebell. li. 2. de
matr. q. 9. n. 5.*

28. QVÆST. *Quo tempore sit celebrandum ma-
trimonium?*

RESP. Omnes omni tempore posse celebra-
ri; benedictio tamen nuptialis, & solemnitates
nuptiarum prohibentur à Conc. Trid. sess. 24. ca.
10. de reform. mat. ab Aduentu Domini vsque in
Diem Epiphan. & à feria 4. Cinerum, vsque ad o-
ctau. Paschatis inclusiuè.

29. Prohibetur vero hoc tempore benedictio
nuptialis, quæ datur cum sua Missa, & traductio
sponsæ in domum sponsi cum conuiuijs, & si-
gnis lætitiæ. *Silu. matr. 7. quest. 2. not. 5. Nauar.
cap. 22. nu. 71. Caiet. matr. cap. 2. & verbo nuptia.*
Absque verò solemnitatibus licita est traductio;
quidam tamen citati à *Silu.* ibi negant. Igitur
considerandum est, vt bene notat *Silu* ibi, si in
loco

loco prohibeatur sola traductio sine solemnitatibus: quia tunc sponsa non poterit traduci, etiam absque solemnitatibus. *Rebell. li. 3. de matr. q. 18. n. 2.* vult requirendam licentiam Episcopi: Quod credo intelligendum, ubi sine licentia non traducitur sponsa, quia ubi traducitur absque licentia, sciente, & tollerante Episcopo, non erit necessaria licentia, tali consuetudine vim obtinente contra canonem prohibentem talem translationem. Aduerte tamen, quod quando querenda est licentia Episcopi, pro volentibus contrahere tempore prohibito, ut est dictum, intelligendum esse exceptis in casibus dictis supra num. II. necessitate excusante.

30. QVAEST. *Quando incipiat dictum tempus?*

RESP. Si. ubi supra. Incipere à principio noctis præcedentis, quo est pulsata Ave Maria. Vel à media nocte. Vel à mane diei, in quo incipit tale tempus. Probabilius iudicat incipere, vel in sero, vel in media nocte præcedenti; tandem concludit standum consuetudini. Hoc tene, & qua hora incipit, ea definit.

31. QVAEST. *An qui solemniter traduxit sponsam, v. g. dominica quinquagesima, possit dominica sequenti, qua erit prima quadragesima, ubi est talis mos facere multa lætitiæ signa pœnitentiæ ad translationem solemnem sponsæ, & tanquam illius finem?*

RESP. Si consuetudo sit scita, & tolerata ab Episcopo, posse; si contrarium, non posse. Curatus tamen euellat corruptelas istas, sed utatur dexteritate.

32. QVAEST. *Qua hora sint facienda matrimonia?*

RESP.

RESP. Obserua consuetudinem legitimam loci. Vbi nihil est determinatum, hora conueniens est matutina, quia tunc potest dari benedictio, quæ datur cum Missa: Et etiam si non daretur benedictio, est hora conueniens est matutina, quia tunc potest dari benedictio, quæ datur cum Missa. Et etiam si non daretur benedictio, est hora conueniens honori Sacramenti.

33. QVÆST. *Quid si spirante termino, in quo potest fieri matrimonium, instet celebratio matrimonii, & emergat casus duorum, & non detur tempus consulendi peritum nec studendi, quid agendum?*

RESP. Si dubietas est de gradu prohibito, vel de re, quæ sit contra substantiam matrimonii, non celebrandum matrimonium: Si est de re, quæ non sit de substantia, considera; & age, quod prudenter in Domino faciendum iudicaueris: Si immineat periculum proprium, vel alterius differendo celebrationem, vide an tenearis iure defensionis, vel correctionis, vt dicitur *nu. 13.* Et iuxta ibi dicta agas: Si nullo iure teneris, implo-
ra brachium coactiuum Episcopi, vel seculare. Sæpè etiam iuuat in similibus repentinis inuitabilibus, aliquo ingenioso modo declinare. Prudentia docet.

34. QVÆST. *Quot testes requiruntur ad impedendum matrimonium?*

RESP. Sufficere vnum affirmat Nauarr. *c. 22. n. 83.* Debet tamen esse fide dignus, & iuratus. Ideo si eueniat casus, Curatus, vt omnem vexationem fugiat quam posset incurrere, si vno allato impedimento, postea negaret se attulisse, & Curatus probare non posset, & interim pars fluctuaret

ira: ita agat, Mittat, reuelantem ad notarium, qui reuelationem excipiat, & iuramentum exigat: Si hoc non potest, quia non adsit ibi notarius, faciat reuelationem tradi scripto. Si nec hoc potest, adhibeat in reuelatione duos testes. Quando tamen aliquis ex sua denunciatione timeret scandalum secuturum, etiam si probare possit, non tenetur reuelare. *Nauar. ibi.* At si Episcopi excommunicatio de facto incutiatur contra non reuelantes, qui legitimè impeditur non incurrit eam. *Omnes.*

35. Dubium est. *An si iste reuelet, & Curatus (quippe qui prudentior) videat, si velit ipse factum detegere, secuturum graue scandalum. An ipse teneatur reuelare?*

RESP. Non teneri reuelare, quia periculum scandali excusat, iuxta *Nauar. vi nu. superiori.* Si verò non constat de futuro scandalo, sed adsit aliqua suspicio?

RESP. Videri dicendum reuelationem hanc posse ad tria capita reduci. Vel primo ad caput Defensionis proximi. Vel secundo ad caput, & regulas correctionis fraternæ, Vel tertio ad caput præcepti Ecclesiastici, siue canonum iubentium reuelationem. Si reducatur ad primū, clarum est Curatum teneri defendere proximum lege naturali. *Nauar. comment. de defensione proximi n. 23. & lege charitatis, & diuina, tanquam Christianum.* Omnes enim ad hoc tenemur, cum hac tamen limitatione, quando sua reuelatio alteri prodesset, & non noceret ipsi reuelanti, vel noceret alteri tantum, quantum, si non defendendo noceret ipsi reuelanti. *Nau. ibi numer. 25.* Et non esset alius reuelaturus,

laturus,

laturus, Curato non reuelante. *Idem ibi nu. 39.* deducitur etiam *ex num. 47.* Si vero reducatuſ ad ſecundum caput correctionis fraternæ, tene- tur Curatus, & omnis Chriſtianus agere ſecun- dum regulas correctionis fraternæ, quæ notan- tur à Silu. *correctio per totum. Nauarr. cap. 24. nu- mer. 12. & ſequentibus, cum citatis ibi. quæ ſunt 4.* Prima eſt, quòd ſit certum partem corrigendam mortaliter peccare. Secunda, Quod ſperetur e- mendatio, vel ſaltem non timeatur deterior ratio. Tertia, Quod ſit opportunitas. Quarta, Quod commode fieri poſſit. Ideo conſideran- dum ſcandalum; quod ſi timeatur maius ſcanda- lum non reuelandum. Si autem reducatuſ ad 1. caput, puta quod nō detur locus nec deſenſioni nec correctioni, (quod tamen vix eſt poſſibile,) nam delata re ad Episcopum, & implorato bra- chio coactiuo Episcopum, vel ſeculari: ſi Episcopum non adſit fideiuſſionibus omni periculo occur- retur, Curatus non tenetur vi præcepti Eccleſia- ſtici, reuelare cum ſcandalo, vt proponitur, quia Eccleſia non ligat ſuis legibus, cum tanto peri- culo.

36. *QVAEST. Cum quanto periculo teneatur re- uelare in caſu neceſſaria reuelationis?*

RESP. Si agatur de peccato euitando, me te- neri cum periculo vitæ meæ, & rerum mearum, dummodo iſte non peccet ex malitia. Si agitur de ſolo damno, quod communiter videtur poſſe ad eſſe, puta quod vir cogatur ſuſtinere onera matrimonij, cum hoc ſit magnum damnum bo- norum, & corporis, non teneor cum damno bo- norum meorum impedire damnum bonorum alterius,

alterius, nec cum damno corporis mei, damnum corporis alterius, ita omnes.

37. QVÆST. Si pater minetur graua Curato assistenti matrimonio filij, qui contrahit illo inuito, & filius instet de illius celebratione?

RESP. Nullum peccatum esse matrimonium rationabiliter impedire, nam Conc. Trid. sess. 24. ca. 1. de reform. matrim. decernit ne denunciations fiant, cum probabilis est suspicio, matrimonium malitiosè impeditum iri: Et cum prohibeat malitiosè, videtur Concilium concedere posse impediri rationabiliter. Propterea cum nullum sit peccatum rationabiliter impedire, licitum erit patri impedire matrimonium filij positi sub patria potestate cum contrahit cum dedecore, vel ignominia patris. Idem poterit mater. Rebell, *libr. 2. de matrim. quest. 14. numer. 8. & 9.* Idem credo de tutoribus, & curatoribus, cum & hi Curam gerant filiorum. Idem videtur rationabiliter de consanguineis, saltem in vicinioribus gradibus, & cum sint nobiles, & contrahatur cum persona notabiliter eos ignominia afficiente; quia, & hæc iniuria iustè ab istis repellitur, impediendo matrimonium. Et cum isti possint impedire tenetur etiam Curatus à celebrando matrimonio supersedere. Porro, quia ista, & similia non sunt adeo repentina, ut omnis prouisio desit, prudens Curatus moneat Episcopum, & iussa exequatur. Quod si patre opponente impedimentū rationabile, filius opponat rationabiliorē causam excusantē, puta quòd velit contrahere cum ea, cū qua contractis sponsalitijs rem habuit, vel opponat aliam similem causam

causam

causam rationabiliorem? Curatus Episcopum moneat, & iussa exequatur? si hoc, penuria temporis, non potest, assistat, quia sicuti iste filius tenetur hanc ducere, ita Curatus tenetur horum matrimonio adesse.

At si dubium sit, an ratio patris sit rationabilior ratione? Assistat, quia in dubio declarandum est in fauorem matrimonij *Rebell. ibi.*

38. *Quid agat Curatus, cui certò constat sponsum, vel sponsam non habere consensum liberum?*

RESP. Non debere assistere tali matrimonio. Sed si antè celebrationem constitit ei de hoc, & tamen, dum interrogat de consensu, respondet consentire, rectè poterit credere, prima opinione relicta vero matrimonio consentire. Practica. Statim atque audierit à fide digno (quia non est credendum omnibus) non adesse consensum liberum, rem deferat ad Episcopum, qui prouidebit. Si instet celebratio matrimonij, & non datur recursus ad Episcopum, Curatus per fidelem hominem curet intelligere, an consensus sit liber; si caret isto fideli sufficiet, vt interroget ipse, (si non potest secretò) dum celebrat matrimonium, solita interrogatione. At si dixerint consentire, credat quod dicunt.

An saltem quando dubitat, consentiat nec ne debeat interrogationi ordinaria, aliquid efficacius addere, puta, sciatis matrimonium debere esse liberum; igitur, si verè consenseritis, liberè referre aut dicere aliud simile?

RESP. Si non est periculum scandali possit aliquid addere, maximè si verba artificiosè contraxerit; Sed etsi nō adderet, nō malè ageret, quia

benè

benè iudicat qui iudicat ex allegatis & probatis, & benè credit, qui credit vt verba sonant, licet de contrario timeat: quia potest credere mutatū prima opinione, & tunc verè consentire, quia in moralibus vt ait Sot. *dist. 27. qu. 1. art. 3. dub. 1.* non requiritur euidencia, sed sufficit ratio.

De matrimonio eius, qui antè amentiam dedit consensum, an sit solemnizandum post amentiam, vide *ca. 5. n. 6.*

39. QVAEST. *Quomodo consensus exprimat?*

RESP. Per verba, per nutus, & signa & aliquoties etiam per taciturnitatem puellæ *Sil. matr. 2. q. 7.* satis etiam exprimitur per parentes, vel quasi parentes, vt tutores, & similes: si tamen exprimat ab extraneo, non valebit. *Rebel. li. 2. de matr. q. 10. n. 9.*

* Ideo scrupulus, cum Curatus ad suam interrogationem vult contrahentes respondeant sub hac forma, volo, vel nolo: sufficit enim vt declarent consensum, vt est dictum.

Practica. Ego non assisterem matrimonio nisi aliquo signo ostenderetur consensus: quia quomodo possem probare consensum, nisi ostenderetur signum consensus? Et testes cuius rei testes essent? Taciturnitatisne, an consensus? Si consensus, quomodo probarent? Si taciturnitatis, non sunt vocati pro taciturnitate.

40. QVAEST. *Si in actu interrogatorij an consentiat, alter omnino nullum signum consensus exprimat?*

RESP. Quod non assisterem vt est dictum. Sed si clarè dicat nō consentire: Clarū est nō esse assistendum. Quid agat tūc Curatus? Nō disponat
renuen-

renuentem ad consentiendum, sed sinat provinciam cognatis vel amicis, interim dum disponitur, habeat se merè passivè nihil dicendo, sit tamen præsens, ne qui dissentit cogatur minus assistenti, quia metu consentiens non debet matrimonio coniungi, cum desit consensus, qui debet esse liber *Sil. merus q. 8.* An vero Curatus teneatur ad istam assistentiam, ut impediatur consensus illum periculosum?

RESP. Cum non videatur ibi futurus alius qui tam benè impediatur, tenebitur lege charitatis, qua liberet pauperem illum ab illa miseria quae est magna, videlicet accipere uxorem, & eam coactam alere, si tamen non timetur ista metu incussio, poterit abscedere.

41. QVÆST. *Quomodo practicandum matrimonium vagi?*

RESP. Non assistendum, nisi prius veritate (id est, eum esse solutum,) cognita, probationibus receptis per testes idoneos iuridicè examinatos, & ad Episcopum transmissos, & habita ab ipso facultate assistendi. Ita *Conc. Trid. sess. 24. cap. 7. de reform. matr.* Vagi nomine Concil. ibi accipitur eum, qui vagatur, & incertas sedes habet. Alij verò vagabundi, ut qui habent domicilium in uno loco, sed etiam habitant alibi, & qui habent domicilium, sed nullam habitationem, ut peregrini, & viatores, quo modo tractandi? Consule Episcopum. Communiter fiunt denunciationes ante istorum matrimonium in parochia originis & domicilij, & fides transmittitur ad Episcopum, & iussa exequuntur. Obserua placita tui Episcopi diligenter, nam sæpè contingit istos aliam, & forte

fortè plures vxores (si vxores dicendæ sint) alibi habere.

42. QVÆST. Si Curatus sit Vicarius Episcopi, & assistat matrimonio, cui est concessa dispensatio Papalis, & per eum debet expediri, & testes examinati probarunt veritatem narratiuæ, sed ipse oblitus ponere decretum dispensationis, matrimon. illi assistit?

RESP. Et credo esse validum matrimonium, si non habuit animum contrarium, quia illud assistere in isto, qui potest dispensare, & decretum nihil aliud operatur, nisi quòd probationem dispensationis præbet.

43. QVÆST. Quid aget Curatus, qui scit in confessione secretum impedimentum matrimonij, an tali matrimonio assistit?

RESP. Si iam præcesserunt denunciationes, & habuit licentiam Ordinarij assistat: Si nihil horum præcessit, occultè petenti occultè neget, & publicè petenti annuat. Sed si scit, & potest probare, debet eis revelare, & subministrare probationes, tacendo rem habitam in confessione. Si non potest probare, non tenetur revelare, nisi credat probabiliter profuturum. Silu. conf. 3. q. 12.

44. QVÆST. Quid aget Curatus cum habens votum continentia vel castitatis interrogat, vtrum matrimonium contractum valeat, stante tali voto, cum si Curatus respondeat valere, ille arripiat occasionem peccandi contrahendo, & si dixerit non valere, mentiatur, quod non licet?

RESP. Nauarrus capitulo vigesimo secundo, n. 73. Esse peccatum respondere affirmatiuè, cū

○

est

est persona talis, & adest talis circūstantia, quod credatur interrogantem occasionem arrepturum contraveniendi voto. Silu. *verò matrim. quæst. 5. not. 9.* ait non esse peccatum, eo quod iste peccans ex malitia peccet, & per cōsequens non curandum de scandalo illo: sed tamen monet prudenter eludendum. Nota tamen, ut in respondendo, solum respondeas quantum sufficiat ad interrogationem, & non plura.

45. QVÆST. *Quid aget Curatus, cum factis denunciationibus, & nullo impedimento detecto, contrahentes asserant, se prius clandestinè, id est, sine presentia Curati, vel alterius de eius licentia contraxisse; an tunc Curatus possit assistere isti matrimonio, cum primum fuerit nullum, & Concilium Trident. sess. 24. cap. 1. de reform. matrim. nihil aliud velit, qua huiusmodi contrahentes, esse omninò inhabiles ad sic & non aliter contrahendum?*

RESP. Rem deferat ad Episcopum, & iussa exequatur, nec aliter assistat. Rebel. enim de sponsalibus in additione *lib. 4. nu. 70.* Ex decreto Congregationis Concilij, videtur requireri placitum Episcopi.

46. Nota tamen matrimonium clandestinum in puberem, & impuberem, etiam si sit nullum per Concilium loco dicto resolui tamen in sponsalia de futuro: Matrimonium vero puberis cum testibus, sed sine parcho, vel alio de eius licentia esse nullum per Concilium ibi, & non resolui in sponsalia, etiam copula sequuta Rebel. *de matrim. lib. 2. q. 9. n. 7.*

47. QVÆST. *Quid aget Curatus, si contrahentes contrahant conditionibus apposis?*

RESP.

RESP. Si sunt conditiones turpes, vel impossibiles (de quibus abunde Doct.) non assistat. Si non sunt viciantes, etiam non admittat, sed faciat eos absolute contrahere. Et si parochus admittat matrimonium vno apponente conditionem, altero vero absolute contrahente, tenet matrimonium. Rebel. de matr. lib. 2. q. 10. nu. 15.

48. QVÆST. An formula Ritualis, videl. Ego vos coniungo in nomine Patris, & Filij, &c. & Benedictio adhibenda sint?

RESP. Adhibendas, siue illis, siue alijs verbis, iuxta receptum vniuscuiusque prouinciæ ritum Concil. Trid.

49. QVÆST. Ante celebrationem matrimonij celebrati per procuratorem, teneatur videre mandatum mandantis?

RESP. Non teneri. Rebell. de matrim. lib. 2. q. 4 num. 2. in fin. Tu non assistas nisi Episcopo monito, & annuente.

50. QVÆST. Qua forma utatur Curatus, cum assistit matrimonio contracto per Procuratorem?

RESP. Utatur forma solita in loco, si de nulla constar, utatur ordinaria: Ego vos coniungo, &c. Et nullus est error, quia eo modo quo contrahit, eo coniungit: cum autem alieno nomine contrahat, etiam alieno nomine coniungat.

51. QVÆST. Qua forma curabit Parochus tales Procuratores contrahere?

RESP. Non dari certam formam verborum, Candelab. de matrim. minist. c. 27. præscribit in hunc sensum: Placetne Domino N. accipere Bertam in coniugem, prout tibi procuratori mandauit cum legitimo mandato? Et deinde vxori:

Et tibi Domina Berta placet accipere in coniugem Dominum N. prout tibi N. procuratori legitimo mandauit, & utroque annuente, addat Curatus, Ego vos coniungo in matrimonium, &c.

52. Curatus omnes nugas aliquando fieri solitas in matrimonio exterminet sensim, sed liberè: sicuti eas quæ in traductione sponsæ sapiunt peccatum, de illis verò, quæ possunt in bonam partem accipi, non sit sollicitus.

53. *QVÆST. Benedictio nuptialis cui sit danda?*

RESP. Fœminæ tunc solum, quando primo nubit, & non, cum post viduitatem transit ad secundas nuptias. *Sil. nuptialis benedict. q. 2. Nau. ca. 22. nu. 83. not. 35.* Alij aliter habent, citantur, *Siluest. ibi.* Si in loco adsit alia consuetudo legitima est seruanda, etiamsi sit contra dicta, nam vt notat *Rebel. de matr. li. 3. q. 10. n. 3. de bigamia,* seruanda est legitima consuetudo diœceseos.

Si quæris an hoc habeat locum solum, si fœmina sit virgo, an etiam quando sit corrupta, & constat?

RESP. in ordine ad benedictionem non attendi virginitatem, nec corruptionem, sed solum si nuptiæ, ex parte primæ benedicendæ sint, vt ex *Sil. & Nau. & alijs elicitur.*

55. *QVÆST. An benedictio sponsæ fieri possit eodem tempore unico contextu super plures sponsas?*

RESP. Posse, quia nullibi contrarium cauetur. Datur autem hæc benedictio per Curatum seu eius Vicarium in Missa propria, & dat eam Curatus sponsæ vel sponsi, si sponsa transierit ad

domum sponsi. Rebel. *de oblig. in addit. 4. lib. de matr. num. 78. ex Congreg. Conc. Trid.*

57. QVÆST. *Quomodo reualidandum sit matrimonium nullum, sed contractum coram paracho, & testibus?*

RESP. Si est periculum scandali in muliere, si viro minaci impedimentum inuvalidans reueler, tunc mulier dissimulante persuadeat viro dum beneuolus apparet, vt velit ex tunc habere eam in vxorem, sicut & tunc ipsa acceptat eum in maritum. Vel consule, vt dicat marito se angiscrupulis, quare roget, vt vterque consensum renouet, & ita renouent. Si non adsit periculum scandali, Nau. infra ait, faciendum esse, vt est dictum. Qui enim scit impedimentum, curet, vt innocens sciat se esse à matrimonio liberum, & prius contractum fuisse inuvalidum, deinde nouum consensum quærat. Nau. *cap. 22. nu. 47.*

Si vero reualidandum sit matrimonium nullum, & factum sine testibus, & præsentia Curati, non dicitur propriè reualidari, sed oportet denuo contrahere cum solemnitate. Concil. Trident. videlicet denunciationibus, testibus, & Curato. In casu vero reualidandi matrimonij minacis prudenter ager Curatus, si illum pro consilio ad alium miserit, vt se exoneret à periculo molestiæ.

58. QVÆST. *si infideles cum coniuge baptizetur, an eorum matrimonium sit reualidandum?*

RESP. Negatiuè, vt tamen euadat Sacramentum, erit necessarius nouus consensus; cætera omittentur. Rebel. *de matr. li. 2. q. 6. n. 5.* Et credo bonum hos ad hoc hortari, vt fructu Sacramenti fruatur,

59. QVÆST. Si dominus, qui per procuratorem contraxit, adducta sponsa quarat à Curato ab ipso coniungi, quid agendum?

RESP. Obseruandas constitutiones Episcopi. Si desuat, annuat Curatus, & præstet omnia, quæ in matrimonio solent præstari, excepta benedictione sponsæ; cum alias est data. Nec hoc erit Sacramentum reiterare, sed ratificare sacramentum iam validum, *Rebell. de matr. lib. 2. q. 5. n. 10.* Decentius est admonitum de validitate primi contractus admittere ad ratificationem, omnibus alijs amputatis.

De libro matrimonij, vide c. 12. n. 41.

60. QVÆST. An puerpera statim à partu introducenda sit in Ecclesiam?

RESP. Silu. Purificatio mulierum, & affirmat. Et nullum est peccatum, etiam antequam solitæ orationes super eam perficiantur, eandem introducere, quia & canes puerpera impuriores non expelluntur ab Ecclesia tanto rigore. Vidi obseruari cum summo rigore non introduci, nisi absolutis orationibus, sed cogi expectare præforibus, etiam si esset pluuia, & cælum valde inclemens. Tu introduce, ita tamen age, introductas statim intra ostium Ecclesiæ super eadem genuflexas lege solitas orationes & dimitte.

QVÆST. An dictæ orationes possint legi domi super puerperam.

RESP. Posse, sed Curatus desuescat suas, asuescat verò ad honorandam Ecclesiam, & ad accedendum ad eam.

QVÆST. An Curatus, qui statim à partu eius, quæ erat maleficiata, vocatus est ad recitandas dictas

dictas orationes super puerperam, eo quod nescio qua ratione moti domestici existimarent maleficium non processurum ulterius, si statim à partu dicta orationes recitarentur, teneatur vel benefaciat annuere votis pœnitentium?

RESP. Et dico primò, dictas orationes institutas ob actionem præscriptam quæ cum habeat adnexum locum, videlicet Ecclesiam, eo ipso, quo extra fiunt, non habent totam suam rationem institutionis; quod tamen cum possit rationabiliter iustificari, puta ad agendas gratias Deo pro beneficio partus, poterunt etiam extra Ecclesiam ex hoc capite non reprobari. Dico secundò, dictas orationes non esse institutas ad maleficia dissoluenda, ideo cum effectus speratus sit orationi inconueniens, dictæ orationes loco & tempore dicto non videntur conuenire, & per consequens talis earum vsus videtur potius abusus. Dico tertio: Si velimus tenere sententiã Leonardi Lessij de iust. lib. 2. c. 45. n. 45. qua affirmat licere nos ponere aliqua, quibus positus expirat vel destruitur pactũ prius diaboli, & diabolus desinit nocere, vel certè priora signa vim suã amittunt, dummodo tamen credetur in actione seu positione non concurrere actionẽ dæmonis, vel nõ sit dubium hanc actionem esse dæmonis, quia tunc non liceret ea vti, nisi cũ expressa protestatione, se nolle cõcurrere cũ actione dæmonis; igitur si secundum ista velimus tenere, licitum erit in hoc sensu prædictas orationes prædicto modo ad instantiam patientis facere. Sed cum illa obseruatio statim à partu sapiat manifestam superstitionem, nullo modo ego annuere

petitioni, cum hoc esset cooperari superstitioni.

62. Credo tamen bonum, Curatum adire hanc puerperam, & orationibus conuenientibus pro dissolutione maleficij. & præcepto prohibitiuo, vt in flagello dæmonum Exorcismo 7. facto dæmoni curare liberationem istius miseræ patientis.

63. * QVÆST. An peccet, qui uxore accepta rite secundum Trid. Conc. Sed nondum illa tradita; puta quia in annum plus minusue secundum morem loci traditio dicitur, consummat matrimonium antequam statum tempus adueniat?

RESP. Abusum hunc dignum extirpatione, tamquam multorum malorum causam vt clari experientia docet. Ad quæstionem dico, Matrimonium præstito consensu cum legitimis solemnitatibus habere totam suam perfectionem; ideo vsum eius tunc licitum, etiam ante sponsæ traditionem; nec fieri malum, aut peccatum, etiam si malè accipiatur à cognatis sponsæ, si dicta eueniant ante traditionem. Ratio est, quia istud illorum motiuum est irrationabile.

64. QVÆST. Quid ager Curatus, si in sua cura adueniant coniugati non obseruata forma Conc. Trid. maximè de assistentia Curati, ac testium, coniuncti tamen matrimonio, vbi dictum Con. non est receptum?

RESP. Obseruet constitutiones sui Episcopi si adsint: si non adsunt, sicut cohabitare, & vt legitimè coniugatos habeat.

)}X

A. VI

A. V I C T O R E L L I

AD CAPVT X. NOTÆ.

Vicarium Episcopi generalem, sine specialidelegatione, in denunciationibus dispensare posse, affirmant Sbrozcius *de Officio Vic. lib. 2. qu. 201.* Sanchez *lib. 3. d. 7. de Matrimonio. Ordinario Trident. Syn. (sess. 24 cap. 1. de matrim.) hoc concedit: at Vicarius generalis Episcopi Ordinarius est Menoch. tamen consil. 69 alique negant.*

Denunciations ad matrimonij essentiam (quicquid nonnulli dicant) non spectant. Per *de Ledef. de matr. q. 45. art. 5.* Sanchez *li. 3. d. 5.* Et *Congr. Concil.* sunt tamen de præcepto obligante ad mortale. *Sanch. l. c.*

Tribus festis diebus, sese statim subsequenti- bus, publicationes fieri nõ deberet: breue enim tempus efficere posset; ne detegerentur impedimenta: si inter vnam aut alteram denunciatio- nẽ duo interponantur dies satis est; si duæ omit- tantur, non statim, post vnicam illam, matrimo- nium celebrandum. Sanchez *li. 2. dist. 6. nu. 8.*

Consummare matrimonium, ante denun- ciationes ab Ordinario non remissas, peccatum lethale est. Lethale etiam Parocho, si non curet, vt ante consummationem fiant, quando in tem- pus matrimonij celebrationem subsequens re- iectæ fuerunt. *Sanch. d. 11. nu. 3 l. c.*

4. Interpollare denunciations, magno tem- poris spatio non interiecto, lethale non putat. *Sanch. d. 3. nu. 8. l. c.*

8. Denunciations extra ædem Sacram (etiam ante matrimonium) fieri possunt, cum frequens populus adest, ut concionatorem extra eam concionantem audiant. Sanch. lib. 3. d. 6. nu. 9.

Denunciations in vtriusque sponsi parochijs faciendæ sunt; in ijs scilicet, quas ij diutius incoluerunt, in quibusque præcipuum habent la-rem, & impedimenta facilius cognosci possunt, unde non est necesse, ut in ea Parochia fiant, quam sponsi recens cœperunt incolere. Sanch. dist. 6. num. 6. 7. In Parochijs, in quibus sponso- rum parentes vetustam habent sedem, eas multæ censent faciendas; & sic declaratum à Cardina- libus testatur Seguta 2. p. Direct. Iudicium, c. 16. citatus etiam à Sanch. l. c. Si non fiant in vtrius- que sponsi parochijs, mortiferum crimen exi- stimat. Sanch. D. 5. nu. 8.

10. Extra Ecclesiam, &c.] Vide notata ad num. 8.

Editui, mandantibus Parochis, celebranda matrimonia denunciare possunt; sic praxis ha- ber; quam Manuel. 1. tom. Summa cap. 217. edit. 2. Sanchez D. 6. num. 5. l. c. non reijciunt.

11. Cum aliqua virgens, &c.] Si quis vellet matrimonium contrahendum malitiose impe- dire, & non haberetur Ordinarij copia; pericu- lumque esset in mora; posset Parochus, denun- ciationibus prætermisissis, matrimonio interesse; idem asseras; si mortis vrgeret articulus, & ma- trimonij celebratio, vel proli legitimandæ, vel morientis hominis saluti prodesset; & ad Ordina- rium aditus non pateret. Necessitati non est præscripta lex. c. 2. de obseru. ieiun. v. Sanch. d. 10. p. 27. l. c. Sà v. matrim. n. 5. Dum

Dum mora periculum non affert, malitiosè impedimenti suspicionem non sufficere, vt Parochus denunciations remittat, (faciendas etiam ante matrimonij consummationem) docet Sanchez, & optimè (*disp. 7. n. 17.*) licet multi ab eo citati, reclamant.

12. Si feriali die magnus hominum numerus ad templum confluat, tunc denunciations fieri posse, Sanchez, probabiliter censuit, *d. 6. nu. 10.* at Congreg. Conc. quæ multa de matrimonio explicauit, negat fieri posse denunciations diebus ferialibus. *Declar. 19.*

14. Non est necesse Curatum esse Sacerdotem, &c.] Clericus prima tonsura insignitus, parochiale beneficium possidens, matrimonio assistere, & Sacerdoti, etiam Regulari, assistendi facultatè concedere potest. *Ledesm. de matr. q. 45. art. 5. ex Congreg. Conc. Vide Nauar. lib. 4. cons. 30. de spons. Sanch. lib. 3. di. 20. Rodriq. parte prima, cap. 217.*

In scriptis, &c.] Negat Sanch. *d. 35. nu. 10. l. c.* Curatus, &c.] Vide Sà v. *matrimonium. nu. 1.* Rodriq. *l. c.* Comit. *l. 1. q. 114. Resp. mor. 16.* Per Episcopum ita est, &c.] Congreg. Conc. docuit, (Rebello teste *de obligat. iust.*) ordinarium non posse prohibere; quin matrimonia domi fiant; si hoc verum, non obligabit sub peccato mortali.

18. Vide Sanch. *lib. 3. d. 19. num. 24.*

19. V. Rodriq. *1. p. c. 217.*

20. Moralispresentia requiritur, physica non sufficit: si Parochus corpore adsit, & verba exprimentia consensum non audiat, aut nutus non videat, & rem, quæ agitur, non animaduertat;

non efficitur matrimonium; quia is præsentiæ moralem non exhibuit. De hac re diligenter Sanchez lib. 3. d. 39. Hoc ipsum de testibus affirmandum.

Si Parochus, per dolum vocatus, si videtur, si casu interfuit, & consensum sponſorum expreſſum, intelligat; etiam si dicat. In hoc matrimonium non consentio, nec illa proferat verba. Ego vos in matrimonium coniungo.] Matrimonium, ex hoc capite, validum erit: solam enim moralem præsentiæ Synodus Tridentina requirit. Vide Sanchez l. c. & declar. Congreg. Concil. sess. 5. declar. 38. & 52.

Si contrahentes alieni idiomatici sint, satis est, si Parochus, & testes mutuum eorum consensum, per interpretem agnoscat. Sanchez l. c.

22. Ne in articulo quidem mortis coram Parocho, & unico teste valebit matrimonium (quidquid dixerit, sine vlla probabilitate, necitericus quidam autor) duorum aut trium testium præsentiæ, cum Parocho. Concil. Trident. postulat. sess. 24. c. 1. de matrimonio. Vide Per. de Ledesma. quæst. 45. art. 5. par. 3. de matrimonio, Sanchez li. 3. d. 17. & 41.

Pater, &c. Ieriam excommunicati, infamiaque notati, si vsu polleant rationis, in fauorem matrimonij, testes esse possunt. Vide Rodriq. 1. par. 6. 217 nu. 17. Sanchez l. c. nu. 5.

Parochus, & testes, non successiue, sed eodem tempore adesse debent: Idem l. c. nu. 3.

23. Vide Sanch. l. c.

24. Tres sunt de hac re sententiæ: prima docet, Matrimonium iterum coram Parocho,

& re-

& testibus contrahendum esse: secunda addit, si hoc sine scandalo & infamia fieri possit: tertia, (in quam iuit Sanchez, *lib. 2. D. 37.*) mutui consensus renouationem inter coniuges, sine Parocho, & testibus, satis esse, tradit: Post Clementis VIII. responsum, sola prima sententia locum habet: Interrogatus Clemens Pontifex Maximus, quid agendum in matrimonio nobilis fœminæ, ob defectum interni consensus, nullorū respondit, matrimonium, admonito viro de matrimonij nullitate, coram Parocho & testibus renouandum esse: ad scandalum tamen vitandum concessit; vt illud matrimonium sine Parocho, & testibus coniuges renouarent. Hæc à docto viro Paulo Comitolo lib. 1. Responso- rum moralium, q. 120. qui addit; *Quare post Apostolicæ Sedis dijudicationem nemini est amplius integrum de re secus opinari.*

Quid igitur agendum in re simili, quando coram Parocho, & testibus inualidum matrimonium, sine scandalo, aut infamia, renouari non potest? Petendum à Summo Pontifice, vt matrimonium, nemine præfente, sola mutui consensus renouatione perficiatur.

Coniugem occulti impedimenti inscium nullitatem matrimonij, antequam id renouetur, docendum esse, non dubito, post Clementis VIII. responsum: quam sententiam grauissimi Doctores olim secuti sunt; Sanchez *præcipue lib. 2. D. 36.* Satis autem est, nullitatem patefacere, si causam nullitatis tacitus præterite quis velit: & id facere aliquando præstabit.

26. Tempus feriarum Quadragesimæ incipit à media nocte. De tempore feriarum Adventus nonnulli idem dixere; sed probabilius est, harum initium sumendum à primis Vesperis Sabbathi. Consule Sanchez *lib. 7. dist. 7. nu. 2.*

30. Ad matrimonium, nondum contractum, impediendum, vnus testis, qui impedimentum fateatur, satis est, *c. super eo, el. 2. de test. & arrest.* Nam agitur de crimine impediendo. v. Sanchez *lib. 1. d. 71.*

37. De vagis, de eorum Parocho, & contrahendis matrimonijs, Sanchez *lib. d. 25. diligentissime.*

Vagi sunt, qui priori domicilio penitus relicto, iter habent, quæruntque, vbi domicilij sedem figant. *l. eius, qui manum, §. Celsus, ff. de municip.*

Horum confessiones excipere, & matrimonijs interesse, diligenti inquisitione præmissa, & Ordinarij licentia habita, quicumque parochus potest; etiam si in proprij parochi fraudem, primum domicilium deseruissent. Sanchez *lib. c.*

Si alter vagus, alter incola sit, idem affirmat. *l. c. num. 14.*

Qui priori parochia relicta, aliam quærit, & in aliqua ad breue tempus, hospes degit, potest coram quocunque illius vrbis parochi conubium inire; ratione enim parochiarum est vagus. *Idem num. 3. l. c.*

Vagorum parochus alij Sacerdoti concedere potest; vt eorum matrimonijs validè assistat. *num. 15. l. c.*

Si parochus, ordinarij venia non obtenta, & diligentia non præmissa, vagos matrimonio iungat, lethali inficitur labe; infringit enim Concil. Trident. decretum in re graui: non est tamen irritum matrimonium, quia Concil. decretum irritanti clausula munitum non est. *nu. 16. 17. loc. cit.*

Si in aliquo loco, Summi Pontificis concessu, vagis destinatus esset confessarius: is tantum eorum matrimonio interesse posset.

36. Ad externum regimen Confessionis Sacramentalis cognitione vti non licet Clemens Octauus non motu proprio, de caluum reſeruatione, pro Regularibus, vetat; ne Superiores huiusmodi scientia ad extremam gubernationem vtantur. Quidam putant, id licere; quando nullum adest periculum violationis sigilli Sacramentalis: at superiorem sententiam secutus est Sanchez *lib. 3. D. 16.*

Quid aget Parochus, qui in confessione impedimentum dirimens inter sponſos coniugium inire volentes agnoscat?

Quinque dicendi modis recensitis, has conclusiones statuit Sanch.

1. Parochus, aut alius Sacerdos veniam affectus siue matrimonio assistendi, siue alia Sacramenta ministrandi, hominem etiam occultè postulantem, ob crimen in sola confessione cognitum, repellere non potest.
2. Si huiusmodi peccator occultè postulet, potest Confessarius secreto eum admonere, vt id facere desinat.
3. Non tenetur licentiam ab ipso petere, ad eum

eum monendum de scelere, quod admissurus est. In sola Sacramentali Confessione eum monere tenetur.

4. Ut procurator validum matrimonium, alieno nomine contrahat, quatuor requiruntur conditiones.

1. Ut speciale mandatum habeat, ad matrimonium contrahendum.

2. Ut mandatum sit ad inveniendum matrimonium cum certa persona.

3. Ut procurator id muneris per se obeat non enim substituere potest; nisi mandatum expresse hoc explicet.

4. Ut dum consensum præbet, facultas revocata non sit, v. Sanch. lib. 2. D. 11.

Matrimonium per procuratorem contractum Sacramentum est: licet nonnulli negent, vide eundem l. c. num. 27.

Procuratorem, pro contrahendo matrimonio usus rationis ad consentiendum præditum esse oportet, & satis est.

Hanc ætatem postulat naturæ ius, Sanch. lib. 3. D. 41. num. 7.

Matrimonium per epistolam contrahi posse, & Sacramentum esse, negant quidam: affirmat Sanch. D. 12. lib. 2.

48. Vtriusvis contrahentis Parochus benedictiones impendere potest, Sanch. lib. 6. D. 82.

Sacerdos alienus, sine Parochi, aut Ordinarij licentia, benedicens suspensus est, ipso iure, Conc. Trid. sess. 24. c. 1.

Quoad secundarum nuptiarum benedictionem, quatuor sententias explicat Sanch. lib. 7. dist. 82, qui tandem sic distinguit.

Si alter, vel vterque coniux, in primo matrimonio, benedictionem accepit: non est ea repetenda: si neuter impendenda.

In quibuscumque locis viger consuetudo, vt secundis nuptijs benedictio adhibeatur, quando alter tantum in priori connubio, illa auctus fuit, hæc consuetudo non parit præceptum, sed excusat à violatione legis communis, *l. cap. nu. 246*

Matrimonium ante benedictionem consummare, lethalem culpam non esse, scribit Pet. de Ledesm. *quæst. 45. art. 5. de matrim.*

52. Quomodo reualidandum, &c.] Lege notata ad numerum vigesimum quartum, & Comitolum *lib. 1. quæst. 120. Resp. mor. tom. 1.*

53. Tres extant de hac re sententiæ: tertiam, matrimonium infidelium, dum ambo baptismo initiantur, sine nouo consensu, Sacramentum effici, docentem sequitur Sanch. *lib. 2. dist. 9. & nos* (sexus iam labitur annus) vberè, nondum edita, disputatione defendimus. De hac re Card. Bellarm. loquens, ait: *Siue igitur coniugati post Baptismum iterum contrahant, siue persistant in contractu antiquo ille consensus mutuus signo aliquo, aut saltem copula expressus Sacramentum coniugij facit in ijs, qui iam per Baptismum capaces Sacramentorum effecti sunt.*

A P P E N D I X I.

De Matrimonio.

Parochus suorum matrimonio extra diocesim Episcopi sui assistens, sine eius, aut Ordinarij, aut Parochi loci in quo assistit, licentia,

licentia,

centia, non peccat) si desit scandalum) & matrimonium valet, Sanch. *lib. 3. D. 19. n. 18.*

Qui duo habet in distinctis parochijs domicilia, quorum vnum hyeme, æstate alterum, æqualitate morali, incolit, coram altervtrius parrocho matrimonium cōtrahere potest. *d. 24. l. 6.*

Si quis cum sponsatus, animi gratia, se conferat; non potest coram illius ruris parrocho, sine sui parochi aut Ordinarij licentia validum coniugium celebrare. v. *Nauarrum consil. 7. de clar. destin. despons.*

Archipresbyter Cathedralis matrimonijs totius Diœcesis interesse non potest; sed solum suæ parochiæ: nisi ita deputatus sit; vt totius diœcesis homines, pro Sacramentis suscipiendis, ad eum confugere possint. v. *Sanchez lib. 3. d. 27.*

Ille alicuius parochiæ parochianus efficitur; qui in illa per non breue temporis spatium habitat, vt negotium aliquod conficiat, ad suum domicilium, eo confecto, rediturus. *Sanch. dist. 23. l. 1. num. 13.* Quidam tamen probabiliter docent, necessarium esse, vt ibi domicilij sedem figere velit, *num. 11. ibi.*

Parochum Christianæ fidei rudimenta nescientes, (Orationem Dominicalem, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, Decalogi, & Ecclesiæ præcepta) à matrimonio arceere posse, nisi senio, vel tarditate ingenij sint incapaces, aiunt Barth. à Ledef. & Vega, negat Sanchez probabilissimè. *lib. 3. dist. 15. n. 18. & 19.* quia ad Parochum non spectat impedimenta constituere: potest tamen (nisi aliud Episcopus præci-

præcipiat) suauibus monitis, per breue aliquod temporis spatium, eos detinere, donec discant; verum, si uellent matrimonium contrahere, nõ possent repelli. *num. 19. l. c.*

Quid ager Parochus sciens, ex coniugum confessione eorum matrimonium inualidum esse? Sanchez his præpositionibus respondet. *lib. 2. d. 38.*

1. Si ignorantia cuiuscumque iuris, aut facti uincibilis sit, & mortiferè culpabilis, tenetur parochus admonere, etiamsi inde scandalum pœnitentis oriturum sit, & monito nihil utilitatis allatura.
2. Si pœnitens erronea conscientia ductus putet aliquid mortiferum crimen esse, debet ei confessarius ueritatem facere: sed hæc propositio ad rem non facit.
3. Si parochus probabiliter speret, sua monita, sine graui scandalo, aut damno, profutura, tenetur admonere quamuis ignorantia facti, uel iuris sit inuincibilis. Sat est autem monere, post absolutionem.
4. Si ignorantia humani iuris, aut facti inuincibilis sit, non afferat præiudicium tertio, & nullus speretur ex monitione fructus, Confessarius non tenetur admonere.
5. Idem putat dicendum, si ignorantia sit circa diuinum, & naturale ius. Quod alij negant diuini, & naturalis iuris ignorantiam culpabilem putantes.
6. Idem affirmat, etiamsi crimen illud, quod inuincibilis ignorantia excusat, in damnum proximi cedat, quod alij non concedunt.

Tres

Tres posteriores propositiones intelligendas sic ait, 1. nisi confessarius probabiliter putet, ignorantiam illam ab alio confessario, qui se non ita prudenter geret, amouendam; 2. nisi pœnitens incertus, ac dubius, interrogatione veritatem exploret.

3. Et nisi timeatur malum aliquod contra commune bonum, ex illa ignorantia.

4. Nisi spes adsit, fore; ut post breue pœnitentis scandalum, admonitio profutura sit.

5. Nisi confessarius sit proprius parochus, & impedimentum probare queat.

A P P E N D I X II.

De Matrimonio.

Quando contrahentes, vel eorum alter, sunt peregrini, vel alienigenæ, parochus rem deferat ad Ordinarium, & sine eius licentia eorum matrimonio non interfit, Conc. Trid. sess. 24. cap. 7. de matrim.

Quando post denuntiationes impedimentum obijcitur, matrimonij celebrationem omittat parochus; sed de matrimonij impedimento non cognoscat. Hoc ad Ordinarium spectat, Sanch. lib. 3. D. 15. n. 3.

Matrimonio negantis impedimentum, quod extra confessionem confessus fuerat, non potest adesse parochus; sed rem totam ad Ordinarium deferre debet. Idem l. c. n. 6. cont. Philiarum.

Quando parochus occultum dirimens impedimentum extra confessionem cognoscit, contrahentes matrimonio iungere non potest: etiamsi id publicè petant. Si nemo impedimen-

sum obijciat, ipse Ordinarius moneat: ex officio enim tenetur impedimenta explorare, *num. 12. l. c.*

Si cognitum extra confessionem impedimentum dispensatione, pro foro conscientiae, sublatum parochus agnoscat, potest assistere matrimonio, si impedimentum illud à nemine coram se, aut Ordinario delatum sit: si delatum sit, non potest assistere; nisi externi fori dispensationem aspiciat, *num. 15. & 16. l. c.*

Moneat parochus sibi subiectos homines, debere quemlibet cognita futurorum matrimonii impedimenta detegere. Hoc non facere lethale peccatum est; etiamsi occulta sint impedimenta, & probari nequeant: (vide Sanchez *lib. 3. D. 3.*) nisi cognoscens impedimenta magnum ex denuntiatione scandalum probabiliter timeat. Quidam dicunt, nisi impedimentum illud sub sigillo secreti acceptum sit, sed hoc soli sacro confessionis sigillo concedit Sanchez.

Qui ex verbis viri fide digni impedimentum exploratum habet, tenetur detegere, si ille non deregat.

Qui audiuit, adesse impedimentum, & modo non recordatur, à quo audiuit; vel scit, virum illum nihil certi scire, non tenetur hoc dicere.

Si occultum impedimentum dispensatione, pro foro conscientiae, sublatum quis agnoscat: denuntiare non tenetur, *Sanch. l. c. & bene.*

Denuntiationes vsurpantur, vt detegi possint impedimenta, illę autem ob alias etiam causas à **Cont. Trid. non expressas ante, & post contra-**
ctum

Etum matrimonium omitti possunt, si ita Episcopus iudicauerit expedire. *Ex Congreg. Conc. Declar. sect. 2. ubi multa de nuntiationib. Ea habes in hoc libro.*

A P P E N D I X III.

De Matrimonio.

DVM duo parochi parochiam in solidum administrant, alter (altero etiam nolente) Sacramenta conferre, & matrimonij assistere potest. *Sanch. lib. 3. d. 24. in fine.*

Sine parochi, aut alio Sacerdote decius, vel Ordinarij licentia, & duobus saltem testibus matrimonium etiam in articulo mortis, contractum nullum est: si contrahatur in loco, ubi promulgatum & receptum sit Trid. Conc. de parochi, & testium presentia decretum. *sess. 24. c. 1. de matrim. vide Sanch. d. 17. num. 4.*

Parochi proprij presentia, vel alterius Sacerdotis de eius, vel Ordinarij licentia, necessaria omnino. Satis est, si sit alterius contrahentium parochus, & valebit matrimonium celebratum in parochia sponsæ, coram parochi sponsi: imo in aliena parochia vel diocesi: nec peccabit parochus, si scandalum, & contemptus defuerit: idem dicas, de Sacerdote; cui parochus, vel Ordinarius assistendi facultatem fecit. *Idem lib. 3. d. 34.*

Parochus non Sacerdos, ut dictum fuit, potest assistere; at delegatus ab eo debet esse Sacerdos: alioquin irritum esset matrimonium. Considera verba Concilij. *Vide Sanchez d. 20. lib. 3.*

Si Episcopus peculiari iussu præcipiat, ne Parochus alicui matrimonio interfit; nevé alij Sacerdoti assistendi facultatem det: non erit irritum matrimonium, si ille aut hic eo concedente, assistat. Quia ille est vere Parochus, & vi Concilii Tridentini, aut assistit, aut dat assistendi facultatem. Eadem affirmabit, si Parochus ad nutum Episcopi, amoveri possit. Vide Perrum de Ledesma *quest. 45. art. 5. de matrim.* Sanch. *d. 22. num. 11. loco cit.* Vide Declar. Conc. Trid. *sect. 3. num. 43.*

Matrimonium, coram Parocho irregulari, suspenso, veletiam excommunicato non tolerato contractum, valet: manens enim in Parochiæ possessione verus Parochus censetur: & assistere non est, proprie, jurisdictionis actus. Valida etiam erit licentia assistendi alicui Sacerdoti ab eo concessa. Hoc negant quidam, nec temere prorsus. Vide Sanch. *dist. 21. l. c.*

Quid si Parochus vero titulo careat, Parochus tamen communi errore existimetur? De hac re multis disputat Sanch. *dist. 22.*

Si qui est in possessione Parochiæ, communi errore, parochus creditus à non legitimo Superiore titulum habeat; inualida sunt in utroque foro, quæ ab eo geruntur, inpalidum quoque matrimonium coram eo celebratum. Sed si à legitimo Superiori titulum obtinuit, inualidum tamen, ob occultum aliquod vitium matrimonium, cui ille interfuit, validum est: etiam si contrahentibus tituli nullitas cognita sit: dum tamen concurrat communis error: nam hic iuris humani, in re proposita, defectum

sup-

supplet. Si etiam iudices, si matrimonium contractum sit coram Sacerdote de licentia Parochi, sed occultè reuocata. Sanchez *loc. cit.* n. 61.

Si homo existimatus Sacerdos, cum non sit, Parochialem Ecclesiam rite adeptus celebret, confessiones excipiat, intersit matrimonijs, Eucharistiam non conficit, non verè absoluit; sed validè assistit matrimonijs, quia communi errore censetur Parochus. & Ordinis potestas pro matrimonio, in eo non requiritur; ut pro Sacramentis Eucharistiæ, Pœnitentiæ, & Viaticionis Extremæ; Error communis humani, non diuini iuris defectum supplet.

Valebit etiam matrimonium coram laico, communiter putato Sacerdote celebratum, quia à vero Parocho assistendi facultate habuit.

Validum esse matrimonium contractum coram Sacerdote, cui Parochus fide (solis verbis scilicet) assistendi licentiam dedit, negat Ledesma: affirmat Sanchez probabilius *nu. 64. lib. 6.*

Ut quis in domicilij mutatione alicui Parocho subiectus, pro contrahendo matrimonio existimetur, quidam, & probabiliter requirunt, ut transeat, loco ad locum animo constituendi domicilium Sanchez arbitratur, sufficere, si alicui maiori anni parte habitet, quamuis confecto negotio in patriam sit rediturus *lib. 3. D. vigesima tertia, num. 13.*

A P P E N D I X IV.

De Matrimonio.

Suspensa Episcopi iurisdictione, denunciata
Sexcommunicatione, Vicarius eius antea iu-

sticus

Institutus, validè matrimonio assistere potest, aliquique Sacerdoti iniungere, vt assistat: quia hoc non est actus iurisdictionis proprie dictæ: Et si Episcopus excommunicatus denuntiatus, aut publicus Clerici percussor, Vicarium, Parochumve instituat, hi non poterunt matrimonio assistere; quia is priuatus vsu iurisdictionis Vicarium, Parochum, validè instituere non potuit. Vide Sanchez *d. 30. num. 10.*

Parochus proprietarius Sacerdoti licentiam suorum matrimonijs assistendi cōcedere potest, cum facultate subdelegandi, quia est ordinarius; Ordinarius autem potest delegare, cum potestate subdelegandi.

Vicecurati ab Episcopo, vel à Parocho absente (concedente Episcopo) toti parochiæ, ad vniuersam curam præfecti, facultatem assistendi matrimonio concedere possunt, non tamen delegandi.

Vicecuratus parochi præsentis (laboris socius) delegare non potest: non enim præsens suas omnes vices putatur ei commisisse.

Sacerdos à Parocho, vel ab Episcopo delegatus, vt matrimonio intersit, subdelegandi facultate caret. hæc Sanchez *lib. 3. d. 31.*

Licentia ad assistendum matrimonio, vt matrimonium valeat, scriptura non eget. Sanchez *d. 35. num. 10.*

Licentia generalis Sacerdoti à parocho concessa, vt omnia ad animarum curam spectantia exercere possit, satis est vt hic matrimonio interesse queat. *Idem l. c. nu. 7.*

Licentia tacita, quam per ratihabitionem
P de fu-

de futuro, Sacerdos aliquis, se à Parocho, vel ab Ordinario habere existimat, ad valide assistendum matrimonio, non est satis; sed tacita ex rati habitione de præsenti, vtdum adest matrimonio, vidente, sciente, ac tacente Parocho, aut Ordinario, qui, si velit, reclamare potest. Sanchez *num. 17. & 20. lib. cap.*

Sponso, aut sponsæ dicenti se à Parocho, vel ab Ordinario licentiã obtinuisse, vt alienus Sacerdos matrimonio assistat, non est regulariter credendum: fides tamen adhiberi posset foeminae, aut viro fide apprime digno. Sanchez *distinctione 17.*

Verba, [Ego vos in matrimonium coniungo,] ad essentiam matrimonij non spectant. Vide Declar. Concil. Trid. *sect. 3. num. 37. 38.* ob præceptum tamen Synodi Trident. ea omittere scelus. (Sanchez *d. 38. sententia*) veniale, (Salzedo & Vega) mortale.

Parochus contrahentes de mutuo consensu interrogare debet: id non facere, quando mutuum agnoscit consensum, (quia scilicet illi non rogati eum expresserunt) veniale crimen, non mortale, vt opinatus est Vega. Consule Sanchez *l. cap. num. 9.*

A P P E N D I X V.

AD stupri periculum tollendum, Ordinarij curare debent, vt sponsi (peractis denuntiationib.) matrimonium coram Parocho & testibus per verba de præsenti, quam primum contrahant. Ex Congreg. Conc. *sect. 2. de*

de denuntiationibus. Parochi quoque munus est dare operam sedulo, ut cuiusque sceleris periculum à suis eueretur. [Declarationes sacre Congregationis Conc. Trid. in huius libri calce adiungendas curavi: ut eaque lectione Parochi quamplurimi desiderio, quo flagrant, satisfacere queant.

Episcopus potest ex aliqua causa arbitrio suo, denuntiationes remittere, etiam si non sit suspicio, quod matrimonium malitiosè impediatur. Hoc illi licet, ob vicinitatem temporis, quo nuptiæ veritæ sunt: non potest tamen iubere, ut diebus ferialibus eæ fiant. Ex sacra Conc. Congreg. l. c. n. 18. 19. 25. 26.

Legalis cognatio inter adoptantem, & adoptatum, huiusque descendentes dirimit, usque ad quartum gradum. *Rebell. libro 3. Q. 7. de obligat. Instit. pon. Nauarr. c. n. 45. Sor. 4. disp. 42. Q. vni.* Alij referuntur à Thoma Sanchez *lib. 7. D. 36. num. 31. de matrim.* qui tamen eam profert in infinitum.

Prohibitio Ordinarij; ne Parochus, aut Parochi Vicarius aliquos in matrimonium coniungat, matrimonium non reddit inualidum; si hic, aut ille, contra prohibitionem matrimonio interfit. Ex Congreg. Concil. *sect. 2. n. 43.*

Dispensatio Pontificis super cognatione, non expressa copula carnali, quæ intercessit, non valet. Vide *Nauar. cap. 22. num. 86. Sanchez lib. 8. de matrimonio. D. 25. Sà Dispensatio, num. 10. Congreg. Concil. sect. 7. num. 122.*

A die cinerum usque ad octauam Paschæ, & ad Auentu usq; ad Epiphaniam vetita est benedictio

dictio nuptiarum, conuiuium, traductio sponsæ ad domum sponsi : non autem celebratio, & consummatio matrimonij. Vide Nauarr. cap. 22 num. 71. Sæ vide *Matrimonij impedimenta diuidentia*.

Causæ iustæ dispensandi in gradibus prohibitis sunt Angustia loci, quando non inueniuntur paris conditionis, quando diues vult ducere pauperem, vel indotatam, constituendo illi dotem, quando vult ducere ob lites, & inimicitias sedandas. *Congreg. Conc. sect. 9. num. 138.*

Apud Stephanum Quaranta, in Summa Bullarij, has pro impetrandis ad matrimonia contrahenda dispensationibus, causas offendet. Propter dotem. Pro muliere indotata. Propter angustias loci. Propter angustias locorum, quando oratores sunt ex duobus locis orti. Clausula etiam extra. Propter inimicitias. Propter lites. Pro confirmatione pacis. Pro Belgis. Pro habitatricibus locorum situs ad littus maris. Pro oratrice excedente annum vigesimum quartum. Causæ infamiae, quando adest carnalis copula. Quando Oratores contraxerunt, seruata forma Concilij Tridentini, & consummarunt, detecto quæ impedimento, abstinuerunt.

Harum causarum praxim vigere hoc tempore, in Curia Romana, idem Stephanus affirmat.

